

numquam pol hominem stultiorem vidi nec videbo. ah
 non possum sati' narrare quos ludos praebueris intus 1010
 [de sene quem fecisti ingredi pulsantem ut(i) senes solent]. 1010^a
 at etiam primo callidum et disertum credidi hominem.
 quid? ilicone credere ea quae dixi oportuit te?
 an paenitebat flagiti, te auctore quod fecisset
 adulescens, ni miserum insupēr etiam patri indicares?
 nam quid illi credis animi tum fuisse, ubi vestem vidit 1015
 illam esse eum indutum pater? quid ēst? iam scis te perisse?
PA. ehem quid dixi, pessuma? an mentita es? etiam
 rides?
 itān lepidum tibi visumst, scelus, nos inridere? *PY.*
 nimium.

PA. siquidem istuc inpune habueris...! *PY.* verum?

PA. reddam hercle. *PY.* credo:
 sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse quod minare. 1020
 tu iam pendebi' qui stultum adulescentulum nobilitas
 flagitiis et eundem indicas: uterque in te exempla edent.
PA. nullus sum. *PY.* hic pro illo munerē tibi honos est
 habitus: abeo.
PA. egomet meo indicio miser quasi sorex hodie perii.

GN. Quid nunc? qua spe aut quo consilio huc imu'? quid 1025
 coeptas, Thraso?

TH. egone? ut Thaidi me dedam et faciam quod iubeat.

GN. quid est?